Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 721
Quelle:
Copyright:

go cupit ſaluus eſſe. et catholicus hęc teneat et credat et uita uiuet. Sed tamen poſt hęc ſi ad cęleſte regnum deſiderat peruenire et ęterna bona concupiſcere. contra diaboli inſidias cotidie neceſſe eſt certare &c. Hinc ad malorum tolerantiam, ad mortem, ad extremum judicium delabitur ignotus Autor, inducitque *Servatorem, Noe, Abraham, Moſen, Davidem, Iſaiam* et rurſus *Filium Dei* Peccatoribus malefacta exprobrantes, et mox deſcripta horum et Beatorum ſorte finit: *qualia preparauit deus his qui diligunt eum. Hęc autem omnia nobis pręſtare dignetur ſaluator mundi qui cum patre et ſpiritu ſancto uiuit.*

VII. *fol.* 20. p. 2. *Auguſtinus De Decimis. Servitoribus eccleſie Reddendis.* Initium: *Habent Mandatum Domini Sacerdotes ſecundum moſaycam legem* &c. Sermonem hunc nec in *Auguſtino*, nec in *Caeſario* reperio. *Auguſtino* tamen olim tributum fuiſſe e *Petri Coeleſtini Opuſc.* I. P. 4. c. 50. *Bibl. PP. Lugd.* T. XXV. p. 785. quis arguat, ubi ex *Auguſtino* haec verba adlegantur: *Quod ſi decimam dederis non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem corporis conſequeris;* Item: *haec eſt enim juſtiſſima Dei ratio, ut ſi decimam non dederis, ad decimam reuoceris;* quae ſententiae iisdem paene verbis in hoc *Sermone*, et non alibi, quod ſciam, in *Auguſtino* leguntur. Non tamen ideo *Auguſtini* foetum putem, vel ex hoc loco: *Legimus in canonibus et in euangeliis et ceteris ſanctis ſcripturis, quod omnis chriſtianus* de omni conlaborato *ſuo et de iuſta adquiſicione ſua decimam reddere deo ex toto corde debet. In Capitulari de Villis Karoli M.* edit. *Baluz.* T. I. *col.* 332. memoratur *Decima ex omni conlaboratu.* Ad hoc igitur aevum etiam *Sermo* noſter revocandus videtur, cui in fine adnexa eſt *Forma Excommunicationis* in eos, qui *Decimas* negant.

VIII. *fol.* 21. p. 2. *Ammonicio Sacerdotum et Conventus.* Incipit: *Fratres. Presbiteri. et miniſtri domini cooperantes noſtri eſtis nos quidem quamuis indigni locum aaron tenemus* &c. Plurimum congruit cum illa, quam *Baluzius* in *append. Actor. Vett. ad Reginonem n. 2.* publicavit. Sunt tamen ibi quaedam breves Sententiae, quas Noſter omittit, et contra poſt ea verba: *antiphonarium unusquisque habeat*, Noſter inſerit: *Vaſa ſacramentalia. et calicem. et patenam auream. uel argenteam. ſeu ſtagneam. Ne forte preſumat cum ipſo uaſe miſſam celebrare quod uomitum parit per ſingulas ebdomadas ſumatur corpus domini. ne forte quod abſit muſcidum fiat*, quod ab Editis abeſt. Praeterea, quod legit αλογον *Baluzius: Nullus — conductor ſui ſenioris exiſtat*, cum ratione Noſter: *conductor fenoris non exiſtat.* Sub finem poſt verba: *et penitentiale habeat*, Noſter in diverſum abit, videlicet: *Et cetera. Videte ſi absque his quę promimus miniſterium ueſtrum facere poteſtis.*